Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26089
Copyright: Admont, Benediktinerstift

gnitate faciatis gaudentes quod per vos dominus pauperes suos vestit et pascit. quibus utique poterat eas quas vobis contulit tribuere facultates. nisi per ineffabilem misericordiam suam et illos iustificare vellet de pacientia laboris et operi vos caritatis. Quarta igitur et sexta sabbati ieiunemus sabbato autem apud beatissimum petrum vigilias celebremus qui et orationes et ieiunia et elemosinas nostras dignabitur adiuvare. per dominum nostrum ihesum christum qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. AMEN. S. cuius supra feria VI.

PRESIDIA DILECTISSIMI SCIFICANDIS mentibus nostris atque corporibus divinitus instituta ideo cum dierum temporumque curriculis sine cessatione reparantur. ut infirmitatum nostrarum ipsa nos medicina commoneat. Natura quippe mutabilis et de peccato labe mortalis. licet iam redempta et sacro baptismate iam renata inquantum est passibilis intantum est ad deteriora proclivius corrumperetur carnali desiderio. nisi spiritali muniretur auxilio. quatinus sicut illi nunquam deest unde corruat ita semper presto est unde subsistat dicente apostolo. fidelis est dominus qui non patitur vos temptari super id quod potestis. sed faciet per ventum ut possitis sustinere. Quamvis igitur dominus protegat bellatores et milites suos. ille quidem potens est in prelio cohortetur et dicat. nolite timere quia ego vici mundum. Sciendum tamen est dilectissimi hoc incitamento